

sumtionem istam per contrarias probationes vel etiam præsumptiones, qualis ista, si v. gr. maritus per decennium abfuerit, posse elidi, non vero casu posteriori. Hic Ulpianus prius membrum sententiæ Juliani sibi placere ait, in posteriori vero se a Juliano dissidere. Qualis ergo in hac doctrina Ulpiani jocus aut nugæ? Sed transeant ista,

a) *arg. l. 1. §. ult. l. 2. §. 3. pr. de agnosc. §. alend. lib. conf. supra §. 6.* b) *d. §. 6.* c) *vid. Masc. d. concl. 789. num. 35. §. 36.* d) *d. l. 6. de his, qui sui.* e) *ad Pand. h. t. th. 28.* f) *l. 1. §. 14. de agnosc. §. alendis liberis.* g) *conf. plura apud Feltmann. in comm. ad d. l. 6. Dn. Struv. Exerc. th. 44.*

§. X.

Revertor ad Paulum, qui regulas bonæ interpretationis nequaquam prætergressus est, dum respondit, filium sub conditione, si se filium esse probaverit, heredem institutum, non sub conditione, quæ in potestate ejus est, institutum videri, & ideo testamentum nullius esse momenti. Uti enim id quidem recte definitum fuit superius, a) opinionem testatoris de filio in hujus casus decisione non attendi debere, sed perinde esse Lucius Titius Aurelium Claudium pro filio agnoverit, siue pro filio non habuerit, siue denique dubitaverit, an ejus filius sit; ita non potuit Paulus aliter respondere, si ex conjecturis de voluntate defuncti rem dirimere voluit, ad quam in expositione ultimarum voluntatem potissimum respiciendum, quoniam in conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones, ut Ulpiani verbis b) utar. Igitur pro diversitate casus, utrum scilicet matrimonium Lucii Titii, cum matre Aurelii Claudii,

dii,